



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CIII. Benedic anima mea Domino: & omnia, &c. Carm. gen.5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Tecum perpetuis æmula sæculis,
Aeui tempora tranfigent.

PSAL. CIII. *Benedic anima mea Domi-
no: & omnia, &c.* *Carm. gen.*

Sit parens rerum mihi carmen: illum
Vox canat, sensus petat, & remotis
Quisquis est fibris uigor, & sacratum
Nomen honoret.

Mens Deo laudes cane, redde grates
Mens Deo: nullis benefacta læclis
Excidant, & quæ tribuit benigna
Munera dextra.

Qui scelus tollit maculosum, & ægros
Sanat angores, animoq; uires
Reddit, & uitæ properante fato
Prorogat annos.

Qui manu larga tibi plura donat
Ore quam poscas, animo uel optes:
Seruat & in morem aquilæ, uirentem
Flore iuuentam.

Integer iudex, scelerumq; uindex,
Tradidit sancto sua iura Mofi:
Haci prolem docuit piarum
Dogmata legum.

Lenis & blandus, dare dona largus,
Tardus irasci: neq; sempiternæ
Sæuit offensæ memor, aut perennes
Ardet in iras.

Nec modus pœnæ numerusue nostris
Aequus

Acquus est culpis: bonitas redundat
 Latius, terræ plaga quàm remoto
 Distat Olympo.

Tam procul nostri maculas remouit
 Criminis, quàm se procul à cubili
 Gaditano sol oriens Eois
 Exerit undis.

Qualis in natos placidi parentis
 Lenitas, talis Domini benigni est,
 Quisquis illius pietate uera
 Nomen adorat.

Tu sinus mentis penitus repositos,
 Tu pater nosti penetrabile cordis:
 Quippe nos terræ memor è rubenti
 Puluere factos.

Herba ceu lactens pueri uenustas,
 Prodit, occultoq; adolescit æuo,
 Donec ut fœnum cadat arefactum
 Falce senectæ.

Instar aut floris Tyrio comantis
 Muricæ, ut uultu modicè sereno
 Risit, afflatu tepidi repente
 Concidit Austri.

Sed Dei æterna bonitate in æuum
 Tutus æternum, remanet piorum
 Cœtus, & longa serie propago
 Sera nepotum:

Si nec æternas uiolabit iusti
 Fœderis leges, memoriq; iussa
 Mente seruarit, referatq; uita
 Puriter acta.

Ille flammantis super alta cæli
 Culmina immotum solium locauit,
 Et suo nutu facillè uniuersum
 Temperat orbem.

Angeli iussis Domini ministri,
 Sub iugum ius est quibus & potestas
 Cuncta cogendi, Domino Deoq̄
 Pangite laudes.

Quiq̄ castrorum comites meretis
 Sub ducis tanti imperio, audientes
 Sedulò dictis, Domino Deoq̄
 Pangite laudes.

Quæq̄ per vastos ubicunq̄ fines
 Imperi pollens opifex creauit,
 Plaudite, auctori Domino Deoq̄
 Pangite laudes.

Mens Deo grates cane: redde grates
 Mens Deo: hunc sensus petat, & remotis
 Quisquis est fibris uigor, & beatum
 Nomen honoret.

PSAL. CIIII. *Benedic anima mea Domi-*
no, &c. *Carm. gen.*

TE rerum Deus alme canam Dominumq̄
 patremq̄.
 Magne parens sancta quàm maiestate uerè
 Aetheris æternas rector moliris habenas.
 Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
 Et circumfusum uestit pro tegmine lumen.
 Tu tibi pro uelo nitidi tentoria cæli
 Et